

proprietatis, ut sic dicam, in religionem. Quod per hunc effectum recte explicatur; nam facta illa traditione per professionem, si talis persona renuntiet postea Episcopatu cum debita facultate, eo ipso statim incipiet teneri ad observantiam regularem, quod non repugnat; ergo non est incapax talis persona formalis effectus professionis; non est ergo cur ex natura rei sit invalida.

10. Hinc vero probatum relinquitur, quod secundo loco dicebamus, talem professionem esse impeditam quoad usum; hoc enim habet ex natura rei, supposita conditione talis personæ, quia non potest per professionem privare suam Ecclesiam jure, quod in ipsam ejusque actiones habet, quia non potest professio dissolvere spirituale vinculum inter Episcopum et Ecclesiam, et ideo necessario professio illa manet impedita quoad omnem usum religionis, qui Episcopali muneri repugnat, sicut in exemplo de professione conjugis, servata proportione, apparet. Atque hinc tandem probari facile potest altera pars, nimirum hanc professionem non esse irritam jure Ecclesiastico quoad substantiam suam, sed solum quoad hunc effectum dissolvendi Episcopale vinculum, nec tollendi ejus onus et obligationem; nullum enim est in jure verbum, ex quo amplius colligi possit, ut patet ex d. cap. *Nisi cum pridem*, et d. cap. *Licet*, et simul cum sequenti difficultate melius declarabitur.

11. *Difficultas: an sit illicita talis professio.* — Oritur tamen ex dictis nova difficultas circa hoc punctum, nam videtur sequi hanc professionem in Episcopo non solum invalidam non esse, verum etiam neque illicitam, quia ex se mala non est; quid enim habet contra rectam rationem, aut contra debitum Dei honorem, cum per illam aliquid simpliciter melius et Deo gratius offeratur? Si autem ex se mala non est, cur per Ecclesiam prohibetur? Adde nullum esse ecclesiasticum jus, quod satis aperte hanc professionem prohibeat, nam in d. cap. *Licet*, quod videtur in hac re expressius loqui, pro regula solum ponitur, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacumque deserere præsulatum, ut ostensum est, valide fieri posse, illa certe prohibetur ex vi illius regulæ.

12. Nihilominus communis sententia, ut diximus, est, prohibitum esse Episcopo religionem profiteri; et ita colligunt ex d. cap. *Licet*, gloss., Innoc., Panorm., et omnes, qui

pro eodem dicunt, transire ad religionem, et deserere Episcopatum illa de causa; nullus autem meminit illius casus, in quo, retento Episcopatu, aliquis fiat religiosus per veram professionem. In quo significant hunc casum non esse moralem, nec secundum Ecclesiæ consuetudinem, quod satis est ut non liceat; item quia est indebitus ordo, cum dignitas Episcopalis altior sit. Unde Innocentius III, in d. cap. *Nisi cum pridem: Facilius*, inquit, *indulgetur, ut monachus ad præsulatum ascendat, quam ut præsul ad monachatum descendat.* Denique, considerato modo assumendi religiosum statum, et quæ ad illum necessaria sunt, secundum præsentem Ecclesiæ consuetudinem, facile intelligitur hoc fieri non posse, nec decere. Ac denique consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita prohibitionem hanc declaravit, quia probabile etiam est hoc non solum esse malum, quia prohibitum, sed ex se esse inordinatum, quia is, qui secundum præsentem statum est incapax munerum et actionum alterius status, non potest convenienter hunc posteriorem statum assumere, si non potest deserere priorem. In quo est magna differentia inter hos duos status, Episcopalem et religiosum, quando contrario ordine assumuntur; nam quando aliquis prius fit religiosus, tunc capax est munerum illius status; et quando postea fit Episcopus, etiam potest exercere munera ad quæ per Episcopatum obligatur. Et licet ex parte impediatur ab actuali usu religiosi status, id non est inconveniens, quia fit propter perfectiorem statum. Quando vero e converso prius fit Episcopus, et postea religiosus, manens Episcopus, accipit statum inferiorem, cujus usum habere non potest, quod inordinatum esse videtur. Nec satis est dicere assumi tunc statum religiosum propter perfectionem quasi habitualement, tum quia status est propter usum, et ideo qui est incapax usus, non debet accipere statum; tum etiam quia, si aliquid perfectionis ex assumptione illius status adjungi posse videtur, per vota simplicia paupertatis, vel obedientiæ, vel per animi præparationem et desiderium suppleri potest. Merito ergo talis profitendi modus non permittitur.

13. *Ultima dubitatio: quid dicendum de professis in una religione.* — *Quid de Prælati Episcopo inferioribus.* — Posset vero hic ulterius inquiri, an quilibet status perfectior impediatur valorem professionis in religione; quia vero nullus est status perfectior simpliciter

professione, seu religioso statu in tota sua latitudine sumpto, nisi status Episcopalis, ideo solum potest illa quæstio locum habere intra statum religiosum, comparando strictiorem ad laxiorem, et ita pertinet quæstio ad disputationem de transitu ab una religione ad aliam, quam infra trademus. Nunc autem supponimus professionem in una religione impedire professionem non solum in laxiori, sed etiam in æquali, idque non solum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex natura rei, ut probabilius existimamus; professio autem in una religione non impedit professionem in altiori, quia in hoc sequitur naturam voti, quod non impedit melius bonum. Atque hinc facile expeditur, quod ultimo circa hanc conditionem inquiri solet, an extendatur ad inferiores prælatos præter Episcopum; quod tractat D. Thom. 2. 2, q. 189, art. 7, et ibi interpretes. Panormitanus cum aliis, in d. cap. *Licet*, Sylvest. et Angel. supra, et omnes, uno vel alio excepto, conveniunt hoc impedimentum non habere in inferioribus locum. Ratio D. Thomæ est, quia illi non obligantur speciali voto perpetuo ad pastorale munus, et ideo nulla indigent dispensatione Papæ; possunt ergo sine licentia Papæ relinquere dignitatem vel beneficium, et religionem profiteri. Addendum vero est hoc nullo jure illis esse prohibitum; imo c. *Licet*, de Regul., specificam mentionem faciens de Episcopis et Archiepiscopis, plane significat inferiores omnes illa licentia non indigere. An vero hi clerici inferiores debeant licentiam petere a suis Episcopis, supra tractatum est, cum de voto in genere ageremus, tom. 2, lib. 3, cap. 4, n. 10, ubi diximus in his requiri licentiam petitam, quamvis non obtentam; idque docent communiter Theologi et Canonistæ, quos late refer Sanch., in Decal., lib. 4 de Voto, c. 25, n. 48. Unde constat talem licentiæ petitionem ad summum esse necessariam propter quamdam decentiam et bonum ordinem, non vero ad valorem professionis.

14. *Specialis difficultas est de quibusdam habentibus jurisdictionem Episcopalem.* — *Resolutio.* — Specialis vero ratio dubitandi est de quibusdam Abbatibus immediate subjectis Summo Pontifici, et habentibus jurisdictionem Episcopalem; nam si petant licentiam a Papa, et non obtineant, non poterunt ingredi religionem, quia Papa potest impedire ingressum, quamvis alii Episcopi non possint; si vero expectare debent consensum Papæ, jam erunt æquales in hoc Episcopis. Propter

quod ita sentit Hostiens., in d. c. *Licet*, nam cum sint veri prælati, et jurisdictionem habeant Episcopalem et exemptam, aliquando solent nomine Episcoporum comprehendi; ergo mirum non est quod in præsentem Episcopis æquiparentur. Nihilominus in rigore censeo non æquiparari, quia inter illa duo cogitari potest medium, ut si Papa petitioni eorum nihil respondeat, tunc enim profiteri poterunt licentia petita, et non obtenta, ut sensit Panormitanus supra, citans Joan. Andr., in c. *Cum non stat*, de Regul. juris, in 6. Fortasse his prælati sufficere licentiam petere a suo Archiepiscopo, vel ab illo Episcopo, cui de jure deberent esse subjecti, si non essent exempti, nam in suum commodum videntur posse non uti exemptione in eo casu, in quo nullum dignitati præjudicium fieri videtur.

CAPUT IX.

UTRUM OBLIGATIO FILII AD PARENTEM VEL ALIA SIMILIS PROFESSIONEM IMPEDIAT, VEL POTIUS PER EAM TOLLATUR.

1. Supponimus solam patriam potestatem, vel subjectionem filii, seu obedientiam parenti debitam, non impedire liberam filii professionem, quia in his, quæ ad Deum pertinent, atque adeo in votis emittendis, maxime post pubertatem (ita enim nunc loquimur), filius est sui juris, ut supra ostensum est, et ideo de hoc negotio agens dixit Hieronymus, epistol. 4 ad Nepotian.: *Per calcatum perge patrem.* Solum ergo superest quæstio de casu speciali, in quo pater graviter indiget ope filii; et hoc modo inter conditiones ad profectendum necessarias ponitur libertas a speciali obligatione subveniendi vel obsequendi parentibus, nam cum hoc debito vel obligatione profiteri nemo potest. De quo puncto videnda sunt supra dicta de ingressu religionis, nam illa necessitas impedit professionem, quæ primum ingressum impedire valet; nec de hac obligatione seu gradu necessitatis hic plura dicere necesse est. Solum ergo addendum est, licet hæc causa sit sufficiens ad obligandum sub mortali ne professio fiat, non tamen esse sufficientem ad irritandam illam, si fiat, ut est communis sententia; quam tenet Navar., lib. 3 Cons., titul. de Regul., cons. 26, alias 3; Sanch., in Decal., lib. 4 de Voto, cap. 20, n. 10; Less., lib. 2, cap. 41, dub. 3, n. 34, et alii. Et ratio est,

quia talis professio non est irrita ex solo jure naturali, ut a fortiori patet ex his quæ, in similibus, in superioribus diximus; quia talis persona non est incapax illius obligationis, quæ per professionem religiosam suscipitur, quamvis fortasse non possit statim illam exequi, de quo mox dicemus; neque etiam invenitur jus canonicum, quod talem professionem irritam faciat.

2. *Dubium in hac materia, an filius professus teneatur succurrere parentibus, etc.*—Hinc vero nascitur dubium, si, non obstante hoc debito, aliquis profiteatur, an post professionem teneatur succurrere parentibus, relicto, si opus sit, religioso habitu, seu statu, quantum ad actualem observantiam et obedientiam, et an ab ipsis parentibus juste repeti possit. Videtur enim ita esse asserendum. Primo, quia hoc est consentaneum justitiæ et pietati, quibus religio repugnare non potest. Secundo a simili de professione conjugum; nam si conjux potest repetere comparem indebite professum, quia habet jus in illum, quo non potuit privari per professionem, cur non poterit pater revocare filium, in quem habebat actuale jus? non enim magis potuit suo jure privari, et ob eandem causam manebit filius in conscientia obligatus, et religio etiam ad reddendum illum, vel sufficienter parentibus ejus subveniendum. Tertio, quia filius sic profitendo facit injuriam patri; ergo non potest illi prodesse, ut liberetur ab obligatione, quam antea habebat.

3. In contrarium autem est, quia per professionem persona censetur civiliter mori; ergo etiam per professionem liberatur omni obligatione civili aut humana, quia cum morte omnia finiuntur. Et ideo exemplum, quod de conjugibus afferebatur, vel non est simile, vel in quo est simile, oppositum persuadet; quia vel in eis professio valida non est sine licentia facta, vel si fiat cum licentia, et valeat in rigore, cessat obligatio in professo, quamvis in alio casu Ecclesia aliud provideat ex officio suo, quod in præsentem cum fundamento dici non posset. Confirmatur tandem, quia alias, etiamsi quis professus esset eo tempore, quo parentes non indigebant, propter exortam postea parentum necessitatem, teneretur relicta religione parentibus subvenire, quia etiam non potuisset illos privare jure suo. Consequens est falsum, et contra doctrinam Sanctorum, ut videre licet, præsertim in Basilio, regula 32, ex fusioribus, ubi inquit om-

nem affectionem et curam erga parentes exuendam esse, quia hæc ad vivos spectant, non ad mortuos, inter quos religiosi computantur, unde concludit eos ab omni prorsus hujusmodi debito liberos esse.

4. *Prima opinio.*—Hoc dubium tractari solet a Doctoribus, tam de illo casu in quo necessitas parentis antecedit professionem, quam de illo in quo subsequitur; et quamvis prior tantum in rigore ad hunc locum pertineat, tamen, quia commode separari non possunt, de utroque dicemus. Quidam enim nihil inter hos duos casus distinguendum putant, et in opiniones extreme contrarias divisi sunt. Prima ergo opinio dicit, in eo casu filium, jam professum, solum obligari ad subveniendum parenti, servata obedientia, et professione religiosa; tenebitur ergo a suo prælato facultatem petere, et illa obtenta, et habitu, ac religione retenta, ei subvenire prout potuerit; si autem superior facultatem neget, alter excusabitur; ita sentit D. Thom. 2. 2, q. 101, art. 4, ad 4, et Quodl. 3, art. 6, vel 16, et Quodl. 10, art. 9, quibus locis licet non aperte distinguat inter illos duos casus, tamen indistincte et sine exceptione loquitur. Et ratio ejus universalis est, quia in religione professus reputatur jam quasi mortuus mundo, et ideo non debet se iterum occasione parentum negotiis secularibus implicare. Quæ ratio variis modis confirmari et declarari potest. Primo, quia per professionem validam major obligatio inducitur, quia est ad Deum, quam sit illa quæ est ad parentes; unde illa spectat ad primum præceptum primæ tabulæ; hæc ad primum præceptum secundæ tabulæ. Secundo confirmatur, quia religiosus jam non habet voluntatem propriam, neque est sui juris, et ideo jam non est capax talis obligationis; sicut uxoratus non potest invita uxore illam relinquere, ut subveniat parenti, quia jam sui corporis potestatem non habet; si quis etiam se in servum vendidit, vel alio justo titulo servus effectus est, non potest invito domino illum relinquere, ut patri subveniat; ergo similiter in præsentem. Tertio confirmatur, quia commune bonam religionis præferendum est privatis incommodis unius vel alterius parentis; at vero si janua vel occasio religiosus aperiatur, intra incommoda et perturbationes, et interdum etiam scandala oriri facile possunt; nam etiam monialis, egredi cupiens monasterio, titulo et colore subveniendi parentibus, ab eo exiret; expedit ergo ut hæc janua omnino claudatur; et hanc

opinionem sequitur Lyra, Matth. 5; et Abul., Matth. 4, q. 12; Alens., 3 p., q. 33, memb. 4, art. 1, et plures quos sequitur Sanch., lib. 4 de Voto, cap. 20, num. 17.

5. *Secunda opinio.*—Alii e contra indistincte affirmant teneri filium professum ad subveniendum parenti in necessitate constituto, etiam invito prælato, et relicto habitu, si necesse sit, quamvis necessitas parentis professioni supervenerit. Inter eos autem, qui ita sentiunt, est diversitas, nam quidam sentiunt ad hanc obligationem sufficere eam gravem necessitatem parentis, quæ si antea fuisset, obligaret filium ad non profitendum, quod sentit Major, in 4, d. 38, q. 16. Vide ibi Richard.; Henric., Quodl. 6, vel 12, q. 18; Medin., q. 3, de Restit., fol. 19; Adrian., Quodl. 1, art. 3, ad 7, et Quodlib. 2, q. 1, fine argum.; Anchar., de Potestate Papæ, q. 5, art. 1. Et fundamentum esse potest, quia professio non potuit præjudicare parenti, nec privare illum jure suo, ut supra argumentabamur. Alii vero hoc limitant ad casum extremæ necessitatis; nam tunc aiunt sufficere petitam licentiam, licet non obtineatur; in quacumque autem minori necessitate, quantumvis gravi, putant procedere priorem sententiam; ita tenet Cajetanus, 2. 2, q. 111, art. 4, qui ita exponit D. Thomam, et eum secuti sunt multi ex modernis Theologis. Ratio ejus est, quia extrema necessitas præferatur omni voto et obligationi, præsertim humanæ, vel voluntate propria assumptæ. Ratio vero alterius partis est eadem, quæ tacta est.

6. *Notatio non est questio de extrema necessitate.*—Ne vero tot distinctionibus confundamur, hanc omittamus, quæ in hac materia semper mihi displicuit, ut supra insinuavi, tractando de primo ingressu, non quia primum hujus membrum de extrema necessitate falsum sit, sed quia est impertinens; nam illa obligatio non est specialis ad parentes, sed ad omnes proximos, ut Cajetanus fatetur, et ideo merito D. Thom. nullam illius specialem mentionem fecit. Fundamentum autem illius partis est, quia tunc prælatus irrationabiliter est invitus, et rem iniquam præcipit, aut necessarium prohibet. Hac enim de causa possumus alienum accipere, invito domino, ut proximo extreme indigenti subveniamus; et servus invito hero potest illi subvenire; et maritus potest relinquere uxorem nolentem, ut ei subveniat. Omissa ergo necessitate extrema, difficultas præsens solum versatur de illa necessitate, quæ in alio ho-

mine existens non obligaret, nec sufficeret, quæque ante professionem obligaret filium ad non profitendum, an etiam obliget post professionem factam.

7. *Tertia opinio duas partes includens.*—Est ergo tertia opinio, quæ distinguit duos casus supra positos, quando necessitas parentum antecessit professionem, vel subsequuta est; et in priori affirmat teneri filium ad subveniendum parenti, etiam invito prælato, et relicta religione, si opus sit. Ratio hujus partis esse potest, quia filius tunc profitendo fecit specialem injuriam parenti, ratione cuius manet semper obnoxius eidem obligationi; nec enim potuit per ipsammet actionem injuriosam ab illa liberari, hoc enim omni rationi et justitiæ repugnat. Declaratur etiam, nam cum illa persona jam esset actualiter obnoxia illi obligationi, non potuit ipsa aliter se tradere religioni, nisi cum illo onere; ergo, non obstante traditione professionis, manet semper illa obligatio, nec acquiritur jus religioni ad impediendam executionem ejus. Et hoc confirmat exemplum de conjugate supra positum, et melius exemplum de servo, qui ab hero repeti potest, ut sibi serviat, non obstante professione.

8. In altero vero casu concordat hæc opinio cum prima, potestque ex dictis ejus fundamentum amplius explicari; quia quando pater non est in necessitate, tunc filius non est ita actualiter obligatus ad obsequium ejus, ut ob eam causam teneatur non profiteri, quia illud præceptum affirmativum est, et non obligat pro semper; tunc ergo nullam facit injuriam parenti, ex qua nasci possit specialis obligatio. Rursus ex vi illius quasi habitualis obligationis, quæ est in filio, quando pater in necessitate non existit, licet filius in præparatione animi præparatus esse debeat ad subveniendum patri, si indigerit, prout ipse potuerit, non tamen tenetur ex vi illius obligationis se conservare in eo statu, in quo possit parenti subvenire, si forte ad necessitatem deveniret; esset enim hoc magnum gravamen, quod nulla potest sufficienti ratione fundari, quia filius non tenetur thesaurizare parenti, quia non tenetur per se loquendo eum alere; ergo propter casus contingentes, qui non veniunt in considerationem, vel providentiam humanam, quamdiu probabiliter non jam imminent, non tenetur filius se servare in eo statu, in quo possit parenti subvenire, alias non posset omnes divitias contemnere, nec posset in longissimas

regiones discedere, nec in desertum abscondi, ubi nihil de parente sciat, quæ plane absurda sunt, et plane contra communem usum. Sic igitur quando parens non indiget, potest filius absolute ita se tradere religioni, suamque voluntatem ita abdicare, ut jam sit omnino impotens ad subveniendum parenti, aliquid agendo contra statum, vel religionem suam. Unde licet postea oriatur parentis necessitas, non aget contra præceptum subveniendi parentibus, si hoc omittat, quia ei non permittitur; quoniam invenit eum impotentem, et præceptum affirmativum non obligat, nisi eum qui potest. Et hoc confirmant exempla supra adducta de statu conjugii, aut servitutis, qui possunt dici status impotentiae respectu parentis, quando ei subvenire non potest sine præjudicio obligationis conjugii, aut servitutis. Et hanc opinionem tenuerunt Angel., verb. *Religiosus*, num. 32, ubi utramque partem variis juribus et rationibus bene confirmat, et citat Nicolaum de Lyra, Matth. 15, eumque in omnibus secutus est Sylvest., verb. *Religio*, 6, q. 9, qui ita etiam interpretatur opinionem D. Thom. Idem tenet Navar., in Summa, c. 14, n. 14, et Comment. 3 de Regul., num. 48; Tolet., lib. 5, cap. 5; Less., lib. 2, cap. 41, dub. 3, n. 34, et alii.

9. Hæc ultima opinio mihi videtur probabilissima, multumque rationi consentanea, et si attente legantur auctores, est communior inter illos; nam qui indistincte dicunt teneri filium professum ad subveniendum parenti, a fortiori hoc dicent quando necessitas parentum antecessit professionem. Quia vero indistincte negant filium ad hoc teneri, nisi servato suo ordine religionis, nihil de illo speciali casu dicunt, ut patet ex D. Thom., Cajetan. et aliis, et ideo verisimillimum est eos locutos esse de religioso legitime et debito modo professo, cui supervenit necessitas parentis; nam de alio casu potius supponunt filium non debere fieri religiosum. Mihi ergo hæc opinio placet; oportet tamen rem totam distinctius exponere.

10. *Quænam sit obligatio filii subveniendi parenti graviter egenti, si imminente jam illa indigentia professus est. — Prima resolutio, quatuor partes continens. —* Dico ergo primo, quando filius professus est religionem cum injuria parentis jam existentis in gravi necessitate, tenetur petere facultatem ad subveniendum illi, et religio, seu prælatus, tenetur eam dare; si autem neget, et aliud remedium commodum non sit, potest etiam li-

centia non obtenta subvenire parenti, secluso scandalo, vel notabili indecentia religiosi status. Quæ omnes particulæ et circumstantiæ notandæ sunt, quia in re morali sunt maxime necessariæ. Prima ergo pars apud omnes, et in omni casu certa est; nam obligatio ad parentes non extinguitur omnino per professionem religionis, cum sit intrinseca, naturalis et honestissima. Unde quando Basilius, vel alii Sancti per exaggerationem videntur dicere oppositum, intelligendi sunt per se ac regulariter, vel quando cura parentum revera esset perfectioni contraria; non est autem hujusmodi, quando est recta ratione regulata. Nec etiam quoad hoc obstat, quod professio sit quædam civilis mors, quia sicut non tollit naturalem vitam, ita neque intrinsecam et naturalem obligationem omnino auferre potest. Manet ergo in religioso hæc obligatio naturalis; ergo ad minimum tenetur facultatem petere a suo superiore ad implendam illam, quia nullo meliori modo potest illam implere; nec vero potest licite hunc modum prætermittere, quando actio, per quam parenti subveniendum est, juxta religiosum institutum sine facultate superioris fieri non potest, quia cum illa persona jam religiosa sit, debet servare suum institutum, quantum possit, sine præjudicio alterius obligationis naturalis; in præsentem autem nullum sequitur ex petitione talis facultatis.

11. Secunda pars de obligatione religionis ad concedendam talem facultatem, videtur mihi indistincte et in universum vera, et ad minimum probari argumentis tertiæ sententiæ; nam religio injuriam fecit parenti, recipiendo filium tali obligationi jam obnoxium; ergo non potuit acquirere jus in filium (ut sic dicam) contra ipsum parentem; ergo non potest propter suum servitium vel utilitatem eum impedire, quominus parenti succurrat; ergo tenetur facultatem concedere. Dices: fieri potest ut bona fide religio illum admitteret; ideoque parenti non fecit injuriam. Respondeo hoc esse accidentarium, nam in re facta est injuria, licet operans ob ignorantiam excusatus fuerit a culpa, et ideo semper tenetur (ut sic dicam) ratione rei acceptæ, etiamsi excusetur ratione acceptionis. Sed quid si ex tali exitu religiosi magnum detrimentum religionis sequatur? durum est enim obligare tunc religionem ad dandam talem facultatem. Quid etiam si religio ipsa velit subvenire parenti, et non dare facultatem filio? Respondeo incipiendo ab hoc secundo,

non esse dubium quin possit id facere; tunc enim eo ipso cessat necessitas parentis; nam, ut supra dixi, disputando de primo ingressu, vera necessitas respectu filii non est, nisi quando nullus est alius qui possit et velit subvenire parenti; in illo autem casu jam est alius; cessat ergo necessitas, et consequenter obligatio, quæ intelligi semper debet existente necessitate. Unde ad aliam partem respondeo primum, si detrimentum religionis solum est carentia talis personæ, et omnis commodi quod ex illa posset religioni provenire, hoc non esse considerabile, quia religio nunquam acquisivit jus in talem personam cum injuria parentis, et illud non est detrimentum privativum, ut sic dicam, sed mere negativum. Si vero aliud esse cogitetur (quod vix potest contingere moraliter loquendo), tunc suscipiet in se religio onus filii; non enim debet cum præjudicio tertii damnum suum vitare. Quod si casus ita restringatur, ut etiam ipsa religio dicatur non habere facultatem sufficientem ad subveniendum parenti, tunc habere posset locum prudens arbitrium, an cum tanto detrimento suo teneatur quasi restituere alienum. Ego vero existimo moraliter non posse contingere talem excusationem.

12. *Quomodo hæc licentia sit petenda, et danda. —* Tertia pars assertionis positæ continetur in illo verbo: *Si aliud remedium commodum non sit.* Censeo enim teneri hujusmodi religiosum tentare omnia media, quæ moraliter et commode possunt, ut, servata obedientia et obligatione suæ religionis, parentis necessitati subveniat. Itaque si intra religionem manens, et religiose vivens potest ex eleemosynis, vel aliunde, parenti subvenire, non potest religionem dimittere, cum medium necessarium non sit. Imo in eo casu nec superior tenebitur facultatem dare ad talem exitum, sed solum ad actiones necessarias ad satisfaciendum prædictæ obligationi. Quod si forte judicaverit hoc non expedire religioni, tunc tenebitur personæ concedere aliquem vivendi modum, in quo possit suæ obligationi satisfacere, ut in secundo puncto dictum est. Deinde si necessarium sit extra clausuram religionis vivere, fieri autem id possit habitu retento, non est major licentia procuranda nisi in eo casu, in quo religioni non judicetur expediens aliquem cum habitu religionis extra religionem diutius vivere. Itaque ea tantum facultas petenda est, quæ et fini intento sit satis, et religioni minimum

noceat; utrique enim tenetur satisfacere, quantum possit, persona in tali statu constituta. Quod si hæc facultas cum hac justificatione petita a superiore aliquo modo denegatur, curandum omnino est, ut non possit per ignorantiam juris aut facti excusari, utriusque perfectam probationem seu informationem illi tribuendo. Si autem in sua sententia persistit, ad superiorem prælatum, usque ad Generalem, recurrendum est. Imo si de dimittenda religione agitur, existimo necessarium esse ad Summum Pontificem accedere, et licentiam postulare, quia ipse est supremus prælatus omnium religionum, et quia ubi dispensatio vel facultas obtineri potest, non est temere aliquid agendum contra obligationem status religiosi. Omnia autem hæc intelliguntur cum illo addito, Si commode fieri potest, in quo duo continentur: unum est, ut recursus ad superiorem vel Papam non sit adeo difficilis, ut moraliter possit reputari impossibilis; quia nemo cum tanto onere obligatur ad facultatem procurandam, præsertim quando aliunde obligatio naturalis urget. Aliud est, ut non sit periculum in mora, alioquin illud non esset morale remedium. Dixi etiam, *si de dimittenda religione agitur*; quia si aliis remediis occulte potest religiosus, suum habitum et statum retinens, necessitati parentis subvenire, facilius poterit id agere petita facultate, et non obtenta a proximo prælato, sine recursu ad superiorem, vel interim dum ab eo conceditur, quia hoc neque ita spectat ad substantiam religionis, neque directe ad voti obligationem, quod a fortiori ex sequenti assertionem constabit.

13. His ergo positis, quarta pars assertionis, scilicet, quando aliud remedium non superest, posse et debere hujusmodi religiosum subvenire parenti, etiam sine licentia prælatorum, et relicta religione, si medium necessarium sit, videtur mihi sufficienter probari rationibus factis pro tertia sententia, et in initio dubitationis, quibus nihil addendum occurrit. Addidi vero duas circumstantias, quæ omnino servandæ videntur. Una est, ut scandalum non sequatur; nam hoc semper præfertur aliis obligationibus particularibus, dummodo verum scandalum sit, et grave, quodque alia ratione vitari non possit, quod prudentis viri judicio in particulari judicandum est. Alia est, ut id fiat sine notabili indecentia religiosi status, nam hoc ex suo genere majus malum est, quam detrimentum temporale parentis, magisque spectat ad Dei